

Annot. existimat, LXX. primum scripsisse *κανθήριον* vel *κανθήλιον*, quod exprimit Latinum: *Cantherium*, qui Vitruvio in architectura est trabs crassa, quæ utriqve ædificiî muro transversim imponitur; Successû vero temporis librariorum imperitia loco ejus scriptum esse *κάνθαρος* *scarabeus*. Montfaucon in Hexapl. annotat, alium Græcum vertisse: *quia lapis in pariete clamabit, quasi vermis in ligno loquens*. Hic interpretatur LXX. *κάνθαρον* de vermiculis; uti & Alius, qui vertit: *Ἔ σκώληξ de ligno loquetur ei*. Sym. vertit: *καὶ σύνδεσμος ξύλων ἔ colligatio ligni vociferabitur*. Vulgatus: *ἔ lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit*. Si non fallor, ad colligationem trabium, quæ clavo junguntur, reflexerunt, & nostram sententiam confirmant. Hieron. Græcos hoc sensu interpretatur: *quod lingua hebræa dicitur Caphis, lignum significabat, quod ad connectendos parietes in medio structuræ ponitur, ἔ vulgo apud Græcos vocatur ἰμάνησις*. Hoc certum est, hos omnes *Caphis* accepisse de lignis, quibus parietum structuræ firmantur, quæ, si non totus fallor, ad speciem nostrorum clavorum proxime accedunt. Hæc prolixius persecutus sum, quo sensum prophetæ certius consequamur. Quæstio adhuc superest, ex quibus ædificiis lapides & clavi clament? Grotius de muris & ædificiis dejectis accepit: *Tuæ injustitiæ testimonium, inquit, reddunt tot muri urbium dejecti*; sed præferenda est Drusii sententia, quæ de muris & palatiis Nebucadnezaris Babylonæ exstructis accepit. *Ipsi lapides, inquit, clamant, regiam tuam e rapinis exstructam esse*. Et hoc volunt hebræa, secundum accentus distincta: *quia lapis ex pariete clamat, i. e. lapis, qui est in pariete, clamat, ἔ clavus ex trabe respondet illi. i. e. clavus, qui est in trabe, respondet*. Hic sensus cohæret cum sequentibus, ubi verbis clamantium lapidum & clavorum hæc

hæc